




Vivere qui dignus fueras vel Nestoris annos,
 Pectore quem solitus vincere & ore gravi:
 Improviso eheu! claudis tua lumina letho,
 Et turbas Nati festa Hymenæa tui.
 Infelix orbi, cui te quæ surripit, hora,
 Ipsum adeò visa est tollere mœsta diem.
 At tibi quæ felix nox flebilis inchoat ævum,
 Æternum reddit, qui sine nocte, diem.

Memoriæ Summi Viri & Collegæ
 desideratissimi pos.

SAM. BENED. CARPZOV, D.



Abruptis abies in montibus ingemit, Euri
 Si Cedrum rabies impetuosa rapit.
 Quidni jam ex animo doleamus & ore gemamus,
 Quando JACOBUM mors inopina petit?
 Ceu Cedrus latè ramos tendebat in auras,
 Et multis umbram frondis honore dabat.
 Præsidium Themidos, Decus Aulæ, Juris Asylum
 Gentis Honos, Patriæ dulce levamen erat.
 Eheu! sed cecidit! Patriæ Themidiqve Duciqve
 Et generi luctus attulit ecce graves!
 Sulpitius priscis, quod Cato, Scævola, Paulus,
 Quod Numa, & magnus Papinianus erat:
 Id fuit & noster JACOBI tempore nostro,
 Et credo huic nullum secla datura parem.
 Hinc meritò tantæ deflemus funera Cedri,
 Lugemus patriæ tantaqve damna simul.
 Protegat usqve Deus MOESTOS, teneatq; subumbrâ,
 Quo non tempestas ulla nocere queat!

Gregor. Nazianzenus:
 ὁλολύζειν δὲ
 πῖτον, ὅτι
 πέπῳ κε-
 δεῖ.

Condolentiæ contestandæ grati lugens apponebat

Georgius Greenius, Ser. Elect. Sax.

à concionibus aulicis.

Heu